



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae De Certitudine Morali Quam habere
debet Confessarius de dispositione Poenitentis, ut eum
sepositâ justâ necessitate licite absolvat**

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1685?]

Præfatio.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951917-8

P R A E F A T I O.

Cum in Methodo remittendi & retinendi peccata quibusdam displiceat, quod in eâ alicubi dicatur; in Confessario, ut seposita omni necessitate Pœnitentem absolvat, requiri certitudinem moralem de sufficienti dispositione Pœnitentis, credimus non abs re fore. si istam Methodi doctrinam obiter alicubi indicatam, per has Theses latius explicemus, & ex professo nunc proponamus, ac congruis argumentis stabiliamus. Et primò quidem ostendemus illicitum esse; Confessarium, justa necessitate seposita, absolvere Pœnitentes, quos ipse censet ad Absolutionem validè recipiendam probabiliter tantum esse dispositos, adeoque probabiliter indispositos.

Deinde probabimus quod Confessarius non debeat de sufficienti Pœnitentis dispositione habere certitudinem metaphysicam, aut etiam physicam, & ne quidem moralem qualis reperiri potest in historia humana; imo nec moralem tantam, ut quispiam habere quandoque potest de propria sua conscientia, sed sufficere ac requiri quandam speciem istius certitudinis moralis, quam habere quis potest de dispositione alterius hominis: requiri inquam ejusmodi certitudinem, dum abest omnis necessitas consistentem dubiè dispositum absolvendi.

Denique ostendetur, ut Confessarius Pœnitentem dubiè dispositum licet absolvat, sufficere quod adsit justa necessitas; justa, id est, proportionata signis Pœnitentiae, hoc scilicet pactum quo necessitas est major, sufficiant Pœnitentia signa minora; & quod necessitas est minor, requirantur Pœnitentia signa majora: nullam prouidè requiri certitudinem moralem dum adest justa necessitas absolvendi dubiè dispositum.

C O N C L U S I O P R I M A.

A persuasione Confessarii de dispositione aut indispositione Pœnitentis valor aut invaliditas Sacramenti Pœnitentiae nullatenus pendet.

Sacramentorum materia & forma (quod cuilibet Theologo notum est) non pendet à notitia quam de illis habeat aut non habeat eorum Minister: idem prorsus dicendum est de Sacramentorum valore, & à paritate rationis de eorumdem invaliditate. Quare si quidpiam, sive ex natura rei, sive ex divina institutione, requiratur veluti materia Sacramenti Pœnitentiae, si istud Pœnitentibus revera desit, invalidè eos absolvet Confessarius, et si vel ex ignorantia juris vel ex ignorantia facti sibi persuadeat nihil ipsis deesse. Ex. gr. ex ignorantia juris Confessarius credit, nihil deesse Pœnitentibus, qui ex solo timore servili poenae infernalium, vel aliquo quidem amore divino, sed non prædominante, de peccatis dolent: vel certè Confessarius nobiscum persuasus neutrum illorum sufficere, sed requiri dolorem de peccatis ex amore Dei prædominante, per errorem facti credit quod Pœnitentes habeant ejusmodi dolorem. His ita se habentibus quidquid sive circà jus sive circà factum etiam quacumque firmitate sibi persuaserit Confessarius, invalidè absolvet Pœnitentes serviliter tantum, vel ex solo amore Dei non prædominante, de peccatis dolentes: posito nimis, quod Sacramentum Pœnitentiae veluti materiam revera requirat dolorem ex amore Dei prædominante: *Tunc enim vera est absoratio præsidentis, cum eterni arbitrium sequitur Iudicis.* S. Gregorius hom. 26. in Evang. ad illa verba. *Quorum remiseritis, &c.* Et ex adverso validè absolvet Pœnitentes coram Deo rite dispositos, et si Confessarius credit esse indispositos, ut si cum persuasione quod sint indispositi, ob aliquam spem de